

RADBODI BREVE CHRONICUM.

(Mabill. Act. SS. ord. S. Bened. tom. VII, pag. 267).

Anno ab incarnatione Domini 900 apparuit in A pestilentius est, diræ hominum adversus Deum se extolleantium tempestates. Hoc eodem anno, priusquam tamen Epactæ mutarentur, Folco Remorum episcopus metropolitanus, et Zuentiboldus rex interfecti sunt: ac non multis antea diebus ego peccator Radbodus inter famulos sanctæ Trajectensis Ecclesiæ conscribi merui. Atque o utinam! cum eisdem æternæ vitæ consortium merear adipisci.

SERMO S. RADBODI DE S. SWITBERTO.

(Ex Boll. Act. SS. Mart. I, pag. 85).

1. Acturi, fratres charissimi, diem nostræ specialis jucunditatis, in qua patroni nostri beatissimi Swithberti sancta admodum commemoratio facienda est, oportet nos paratos esse ad omne opus bonum, promptosque habere animos; primo quidem ad audienda legis divinæ mandata, postmodum vero ut, quantum possumus, ea factis exsequi studeamus, et sic demum alios docere possimus. Hoc enim fecit Dominus noster Jesus Christus, de quo ita scriptum est: *Cæpit Jesus facere et docere* (Act. I, 1). Alioquin irrita et inanis nostra erit doctrina, si ea quæ diximus, nihil agendo destruamus. Nam quid prodest alicui, si bene audiat, et male agat? aut quid proficit illi, si alii viam pedum ostendat, ipse autem in via morum errare non desinat? Nos igitur vestigia Redemptoris nostri sequentes, quælibet bona libentissime audiamus; audita vero dignis actibus compleamus, et sic per ordinem ad instruendos proximos accedentes, consulamus eis rerum bonarum doctrinis pariter et exemplis. Hoc ergo ut sive dilatione fieri possit, revocanda sunt nobis ad memoriam Patris nostri, de quo supra diximus, opera: qui in omnibus quæ docuit, prius a semetipso auditoribus suis exemplum dedit, neque unquam in Ecclesia aliud faciendum dixit quam in quo ipse faciendo præcessit. Verum ut se imitari volentibus hoc quoque manifestum fiat, facta ejus Deo placita, omnique audienti satis necessaria in publico recitentur, quatenus ex eisdem plebs Christi ædificationem accipiat, ac de tanti viri gloriosis precibus semper gratulabunda existat.

Sed quia nobis quædam sunt occulta quæ eum fecisse post Deum sola novit antiquitas: quippe qui

B ab Anglorum provincia in nostros fines venisse probatur, scripta venerabilis Bedæ presbyteri referantur in medium, qui in Regestis Anglorum, inter cætera sic de hoc sanctissimo viro scriptum reliquit.

2. Tempore B. Willibrodi Trajectensis episcopi, fratres, qui erant in Frieslandia verbi ministerio participati, elegerunt ex suo numero virum modestum moribus et mansuetum corde Swithbertum, qui eis ordinaretur antistes. Quem ad Britanniam destinatum, ad petitionem eorum ordinavit reverendissimus Wilfrid episcopus qui, tum forte patria pulsus, in Merciorum regionibus exulabat. Non enim eo tempore habebat episcopum Cantia, defuncto quidem Theodoro, sed necdum Berthwaldo successore ejus, qui trans mare ordinandus ierat, ad sedem episcopatus sui reverso. Qui videlicet Swithrecht, accepto episcopatu, de Britannia regressus, non multo post ad gentem Boructuariorum secessit, ac multos eorum prædicando ad viam veritatis perduxit. Sed expugnatis non longo post tempore Boructuariis, a gente antiquorum Saxonum dispersi sunt quolibet hi qui verbum receperant. Ipse antistes cum quibusdam Pippinum petiit qui, interpellante Blithrude conjuge sua, dedit ei locum mansionis in insula Rheni, quæ lingua illorum vocatur *in littore*. In qua ipse constructo monasterio, quod hactenus hæredes possident ejus, aliquandiu continentissimam gessit vitam, ibique clausit ultimum diem.

3. Hæc igitur, quæ superius de hoc sanctissimo viro digesta sunt, Bedam commemorasse neminem ambigere credimus, nisi forte quampiam talem,